


FUNDAMENTVM

1. Maxima centrum est idem cum centro spherici: Ideoq; omnes Maxima sese inuicem bisecant: Aliaq; secans aliam per polos, recte eandem bisecat. (Recte, id est, ad angulos rectos sphericos.)

2. Maxima distat circumqua; per quadrantem Maxima à suo polo: Ideoq; omnis quadrans è polo alicuius Maxima in ipsam Maximam ductus, incidit in ipsam recte: atq; idcirco angulos vtrinq; rectos sphericos super eandem constituit.

3. Cætera spherici peripheria Maxima propior, est maior remotiore: contraq; ab ipsa remotior, est minor propiore: Duaq; vtrinq; equidistantes à Maximâ seu mediâ omnium, inter se equantur: Estq; earum ad se inuicem ratio in ratione Diametrorum: Diametrorumq; ratio est in ratione sinuum.

4. Omnis peripheria spherici, siue Maxima siue minor, diuiditur in 360. partes æquales seu gradus: Ideoq; omnes peripherie suarum partium numero inter se homologæ existunt, licet partibus ipsis inter se inæqualibus existentibus, quarum ratio est æquæ ac prius. Ratio enim partium seu segmentorum peripheriarum, id est arcuum, est in Ratione totarum peripheriarum, inq; ratione angulorum ad polum, & basium eorundem angulorum in peripheriâ Maximâ, à dicto polo per quadrantem distante.



II. De Triangulis in genere.

Triangulum est spatium inclusum tribus lineis (vel comprehensum determinatum è tribus lineis) idq; aut tribus rectis, vt planum: aut tribus circularibus vel arcibus trium Maximarum sese mutuo secantium, vt Sphericum. Itaq; Triangulum planum est Rectilineum comprehensum à tribus lineis rectis: Triangulum verò sphericum est superficies spherici à tribus arcibus seu segmentis trium Maximarum sese mutuo secantium determinata. Itaq;

5. Trium Maximarum segmenta seu arcus sigillatim semispheriâ minores sese mutuo secantes, constituunt Triangulum sphericum. Ideoq; nullum est triangulum sphericum Astronomicum, nisi dicto modo constitutum. Pote est tamen esse Geodaticum præter dictam conditionem. Estq; Dimensio Trianguli Geodatici in inuestigatione quantitat is areæ ipsius: Astronomici verò Trianguli solutio est in inuestigatione laterum & angulorum ipsius.

6. Lineæ Rectæ in triangulo parallele basi, secant crura ratione ipsarum parallelarum: & contrâ. Hinc Triangulorum equiangulorum latera sunt proportionalia. Vbi tamen in sphericis subtensi arcibus sinus pro lateribus è Canone assumendi sunt.

7. Anguli quiq; bini oppositi inter Rectas sese secantes equantur: Et cum omnis Maxima, siue sursùm in coelo, siue deorsùm in globo intuentibus nobis tanquàm Recta per 22. Optices Euclidis appareat, hoc etiam in sphericis locum habet.

8. Am-